

primo, 1. Quia iusticia, ut ait^f Cassiodorus super illud Ps. [14, 2]¹²): *Qui ingreditur sine macula et operatur iusticiam, — iusticia non novit patrem nec novit matrem; veritatem novit, personam non acceptat, deum imitatur.* Unde Seneca in formula vite honeste ait¹³): *Quid est autem iusticia nisi nature tacita conventio in adiutorium multorum inventa? Et quid est iusticia nisi nostra constitutio seu divina lex et vinculum societatis humane? In hac non est, quod existimemus, quid expediat; expediet quidquid illa dictaverit. Quisquis ergo hanc sequi desideras, time prius et ama deum, ut ameris ab eo. Amabis enim deum, si illum in hoc imitaberis, ut velis omnibus prodesse, nulli nocere, et tunc te iustum virum appellabunt omnes, sequentur, venerabunt et diligunt. Iustus enim ut sis, non nocebis solummodo, sed etiam nocentes prohibebis.* Sed statim adest iusticie premium: *Benedictio domini super caput iusti*, Pr. X, 6 + 7, et *memoria iusti cum laudibus et nomen impiorum putrescet* (ibidem). *Iusti autem in perpetuum vivent*^g et *apud deum est merces eorum*, Sap. V^o, 16. *Iustorum namque anime in manu dei sunt et non tanget illos tormentum mortis*, Sap. 3^o, 1. Et quia ·N· iustus fuit, *iustum deduxit dominus per vias rectas et ostendit illi regnum dei ... usque illius*, Sap. X^o, 10. Nota insuper, quod ait Augustinus in sermone de iusticia et Cyprianus in abusionibus. 4^o comendatur cesar noster a ritu et clemencia ex^h more pietatis. Scivitⁱ namque bene argutus princeps, quia *miser cordia et veritas custodiunt regem et clemencia roborabitur thronus eius*, Pr. 20, 28; *clemencia eius fuit quasi imber serotinus*, ibi 16, 15. Et nos sibi dicamus: *Clemens tu es*, Neh. 9, 31. *Audias ergo nos pro tua clemencia*, A. 24, 4. Noverat siquidem, quia *reges domus Israel clementes sunt*, 3 Rg. 20, 31. Scivit etiam, quia *pius et clemens est dominus deus noster*, 2 Par. 30, 9. Unde Seneca de clemencia ad Neronem ... nota in sermone Accipite¹⁴). Quapropter os *aperuit sapientie et lex clemencie in lingua eius*, Pr. 31, 26. Cuius rei

^f) Fehlt Ms.

^h) et Ms.

^g) viuet mit Kürzungsstrich Ms.

ⁱ) sitivit Ms.

¹²) Corpus Christianorum 78, 32: Hieronymus. Der Irrtum erklärt sich daraus, daß Heinrich hier nach dem Manipulus Florum des Johannes Gallensis (s. S. 205 Anm. 1) zitiert, wo unter dem Stichwort „iustitia“ das obenstehende Zitat zwar mit etwas anderem Wortlaut, aber im gleichen Umfang vorkommt.

¹³) Migne PL 72, 27: Martin von Bracara.

¹⁴) Dort (in der Handschrift fol. 4) ist zitiert: Principum crudelitas bellum est (I, 5, 2). Clemencia in quacumque ... prestabit (I, 5, 4). Quod si dii ... imperium (I, 7, 2).